



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae  
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii, 1758**

Titulus IX. De Contractu Et Sacramento Matrimonii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)

ret notabiliter molestius. Item per  
 ingressum in Novitiatum, suscepto  
 Ordines minores, vel Sponsalia sub-  
 sequentia 33.): quia talis censetur  
 renunciare juri suo. Item propter  
 causas antecedentes ignoratas, quæ  
 cognita retraxissent a contractu. In  
 ejusmodi tamen casibus judicium Ec-  
 clesiæ regulariter interponi debet,  
 nisi causa sit publica: Judex autem  
 est Ecclesiasticus, habens jurisdic-  
 tionem pro foro externo.

### TITULUS IX.

#### DE CONTRACTU & SACRAMEN- TO MATRIMONII.

*Conf. Decretal. lib. 4. tit. 1. §. 5.*

§. 290.

*Matrimo-  
 nii defini-  
 tio:*

**M**ATRIMONIUM sumi potest vel  
 in ratione actualis conventio-  
 nis & contractus; sub qua confide-  
 ratio-

33.) Sponsa prima innocens non tenetur ce-  
 dere jure suo, etiamsi Sponsalia secun-  
 da fuissent juramento vel copula carnali  
 firmata, quæ adeo sunt invalida, ut non  
 obligent, etiamsi prima dissolvantur.

ratione vocatur etiam *connubium*, *nuptia* 34.): vel in ratione status permanentis, nexus ac vinculi, quod per contractum inducitur; & sic vocatur etiam *conjugium*, *consortium* &c. In utraque consideratione cum debita proportione solet definiri, quod sit *maris & femina conjunctio maritalis*, *individuum vitæ consuetudinem continens* 35.).

§. 291. Consideratur Matrimoni-*Varia*  
um I. ut contractus *Naturalis*, qua-*considera-*  
tenus est in officium naturæ ad pro-*tio* :  
pagationem atque conservationem  
humanæ societatis. Sub qua con-  
sideratione in data definitione  
(§. 290.) intelligitur conventio, qua  
mas & femina mutuo sibi tradunt  
jus in corpora, ad actus ex se aptos  
ad generationem prolis & ad indi-  
viduum vitæ societatem se obligant  
36.). II. Ut contractus *Civilis*,

A a 4                      qua-

---

34.) Matrimonium inter veros contractus non esse numerandum, censet HUBERUS ad Instit. de Nuptiis. n. 2. Ejus argumentis respondet P. PLACIDUS BÖCKH ad tit. de Sponsalib. part. 2. n. 6. seqq.

35.) C. II. §. verum. de Præsumpt. §. I. Inst. de patr. potest.

36.) De Matrimonio prout est conjunctio  
na-

quatenus perficitur Legibus Civilibus: & hoc intuitu definitioni solet addi vox *legitima* conjunctio. III. Ut *Sacramentum* novæ Legis, seu quæratione possent addi verba: *Dirigitur instituta in signum conjunctionis Christianæ cum Ecclesia, habens promissionem gratiæ ad uniendos simul conjugum animos & prolem pie ac sancte educandam in Fide Christiana.*

**Divisio :** §. 292. Dividi Matrimonium solet in Legitimum, Ratum, & Consummatum. *Legitimum* est, quod præcise juxta leges Naturales & Civiles contrahitur, quale est inter infideles. *Ratum* dicitur, quod inter Christianos juxta leges Ecclesiasticas contrahitur, adeoque ratihibitionem Ecclesiæ, & nisi aliud impedimentum ponatur, rationem Sacramenti habet. Huic si accedat conjunctio corporum per se sufficiens ad generationem proles, vocatur Matrimonium *Consummatum*. Sub alio intuitu, & in ordine ad varios effectus, aliud Matrimonium est *civile, politicum & solemne*, in quo concurrunt solemnitates

---

naturalis, multa differit PUFENDORF de Jure natur. & gent. lib. 6. c.1.

tates a Jure Civili requisitæ, uti pacta dotalia, solemnis traductio Sponsæ in domum Sponsi, consensus parentum &c. *Canonicum & insolemne* est, in quo adhibentur ea tantum, quæ a SS. Canonibus requiruntur. Quo refertur Matrimonium *ad Morganaticam*, seu *Conscientiæ*, in quo liberi ex fæmina inferioris conditionis nati, contenti jubentur esse portione ad suam sustentationem necessaria, conditionem tamen & dignitatem patris non participant 37.). Quæ solemne contraxit Matrimonium, proprie vocatur *uxor*: quæ absque solemnitatibus ducta est, solet etiam vocari concubina 38.).

§. 293. *Institutionem & Autorem Ma-* *Institutio*:  
trimonii quod attinet, natura quidem ipsa ad generationem & amorem prolis pro conservatione humani generis inclinatur; DEUS tamen voluit hanc inclinationem intra limi-

Aa 5            tes

---

37.) Vid. lib. 2. Feud. tit. 29. Inæqualia hæc matrimonia vocantur *disparagia*, de quibus Tubingenses apud BESOLDUM Conf. 88. loquuntur potius ex principiis Juris Romani, quam Germanici. vid. BOEHMER Jur. Eccl. Protest. tom. 4. de conjug. serv. §. 19. seq.

38.) C. 4. & 5. dist. 34.

tes honesti Matrimonii coërcere, ad  
 dito etiam præcepto, *crescite & multiplicamini* 39.), quo tamen non tenentur singuli, sicuti multiplicati humano genere non obligantur singuli ad agriculturam, ad ædificationem, & alia hujusmodi officia communitati humanæ necessaria. Cur enim Matrimonium pro utilitate Reipublicæ ineatur, possunt multi Cœlibatu utilitatem hanc magis promovere aliis operibus, a quibus in statu conjugali impedirentur. Deum igitur veneremur Autorem Matrimonii, cujus naturam debemus desumere ex Divina institutione in Paradiso, quam Christus sanctificavit, volendo ut sit Sacramentum, seu signum conjunctionis Christi cum Ecclesia practicum & efficax gratiæ sanctificantis 40.). Matrimonium  
 jam

39.) Genes. I. 28. Hæc verba non tam præceptum continent, quam benedictionem, qualem Deus etiam impertitus est piscibus & avibus veri præcepti incapacibus. Genes. ibid. 22. *Benedixitque eis dicens: Crescite & multiplicamini.*

40.) *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. ad Ephes. V. 32.*

jam ante adventum Christi erat Sacramentum in latiore & improprio sensu, quatenus cujuslibet rei sacrae signum lato modo Sacramentum dicitur, quia jam in Paradiso institutum fuit tanquam signum conjunctionis Christi cum Ecclesia: unde apud omnes gentes Matrimonium aestimabatur tanquam res sacra, quamvis plerique nescirent veram ritus hujus significationem.

§. 294. *Causa efficiens* Matrimonii, *Causa efficiens*; prout hoc sumitur pro statu permanente, est mutuus contrahentium consensus internus, sincerus & non fictus, liber & non coactus, ab errore substantiali immunis, publicus, per verba de presenti, aut alio signo exteriori manifestatus 41. ). Ex hoc consensu resultat perpetuum animorum vinculum, in quo consistit ratio formalis Matrimonii. Hic  
ne-

---

41.) Si quis simulate contraheret, teneretur dein vere & sincere consentire, tum ut resarciat injuriam illatam Ecclesiae & parti; tum ut scandala & damna, quae inde suboriri possent, impediatur.

nexus, accedentibus verbis Minister  
 conjuges unientis, ex virtute Divi-  
 nę institutionis dispositive operati-  
 ad gratiam, in quo consistit ratio  
 Sacramenti. Unde valde probabile  
 est, materiam Sacramenti Matrimo-  
 nii esse actus contrahentium; for-  
 mam autem consistere in verbis Sa-  
 cerdotis contrahentes conjungentis  
 qui proin erit Minister Sacramenti  
 Matrimonii, dicendo, *Ego vos  
 Matrimonium conjungo, in nomine Pa-  
 tris & Filii, & Spiritus Sancti*; ve-  
 aliis utatur verbis, juxta receptum  
 uniuscujusque provincię ritum 42.)  
 Omnes fideles obstringuntur ita ce-  
 lebrare Matrimonium, ut sit verum  
 Sacramentum, contrahendo illud  
 juxta ritus ab Ecclesia præscriptos

---

42.) Conc. TRID. sess. 24. de reform. ma-  
 trim. c. I. Ministrum Sacramenti matri-  
 monii Sacerdotem esse late defendit MA-  
 CHIOR CANUS de locis Theol. lib. 8. c. 5.  
 Contrarium latius defendit HENRICUS  
 S. IGNATIO Ethica amoris tom. 3. lib. 8.  
 p. 2. c. 3. 4. 5. plures utriusque opinio-  
 nis Patronos, eorumque argumenta re-  
 fert BENEDICT. XIV. de Syn. Diocęsa.  
 lib. 7. c. 28.

his neglectis Matrimonium quidem contrahent validum, ut indissolubile, secus ut Sacramentum. Tale Matrimonium est, quod absque assistentia Sacerdotis contrahitur in locis, ubi Concilium TRIDENTINUM non est promulgatum. Unde etiam Matrimonium infidelium neque est Sacramentum, neque evadit tale post conversionem ad Fidem.

§. 295. *Finis* Matrimonii est I. *Finalis:* Procreatio, nutritio & educatio proli. II. Conjunctio animorum ad mutua auxilia, obsequia & officia maritalia præstanda. Præbet Matrimonium etiam licitum remedium concupiscentiæ; etsi ad hunc finem non sit institutum.

§. 296. Cum Matrimonium sit *Quomodo* verus contractus, potest inter ab-*celebrari* sentes celebrari per Procuratorem, *possit per* modo hic habeat speciale manda-*Procura-* tum, determinatum ad certam per-*torem,* sonam, & non revocatum eo tempore, quo Procurator alterius nomine contrahit, qui implere debet hoc officium per seipsum, servatis limitibus mandati, & legibus Tridentinæ Synodi. Tale Matrimonium

um erit validum in ratione contractus naturalis & civilis, forte autem nequaquam in ratione Sacramenti. Habet Matrimonium analogiam cum aliis contractibus, consequenter potest iniri per Procuratorem in ratione validi contractus: sed etiam habet analogiam cum aliis Sacramentis, quæ non conferuntur absentibus: consequenter non administratur absenti in ratione Sacramenti, sed tunc demum, quando principales contrahentes consensum per Procuratores datum renovant coram Parocho, eos juxta ritum Ecclesiasticum conjungente.

*vel sub conditione.*

§. 297. Sicut alii contractus, & Matrimonium iniri potest sub Conditione honesta de futuro contingente: donec hæc impleatur, Matrimonii valor suspensus est, nisi sequatur copula carnalis, quæ ministrat præsumptionem, quod contrahentes a Conditione recesserint, ad eo fortem, ut non admittatur probatio in contrarium 43.). Ob hæc aliasque rationes Matrimonia sub Conditione de futuro permitti non debe-

43.) C. 5. & 6. de eondit. appos.

deberent. Si autem sit *Conditio* de præterito, vel de præfenti, *Matrimonium* mox erit absolute validum, vel invalidum, prout *Conditio* existit, vel non existit, etiamsi sequatur copula carnalis. *Conditiones* impossibiles, & turpes de futuro, quæ *Matrimonii* substantiam non inficiunt, pro non adjectis habentur, & *Matrimonium* ratum consistit. Ipsam autem *Matrimonii* substantiam inficiunt *conditiones* seu modi adjecti, qui bona *Matrimonii*, videlicet prolem, *Fidem* & *Sacramentum* impetunt 44.). *Matrimonium* sub expressa *conditione* perpetuæ castitatis virginalis non habet rationem veri *Matrimonii*. *Beatissima* *Virgo* & *S. Joseph* absolute contraxerunt, & mutuam corporum potestatem transfulerunt, quamvis uterque animum habuerit ab omni carnali commixtione abstinendi.

TI-

---

44.) C. fin. eod.